

naves duas in Regio Portu deprehensas, invasit.

Dum hæc in Canada geruntur, naves Anglicæ, præeuntem Argallum fecutæ, aliæ procul à Virginia ventorum vi abreptæ; aliæ undis haustæ sunt. Una, cui Turnellus Anglus præerat, & qua Patres Quintinus ac Biardus vehebantur, continentibus sexdecim dierum procellis vexata, in Azores, Lusitanorum ad Africæ littus insulas, celerrimè defertur. Hic vero novum exoritur periculum. Turnellus pœnam metuens, quòd Societatis sacerdotes per summam immunitatem domicilio avulsoſ spoliatosque secum traheret, indignisque habuiffet modis, de illorum nece agitare confilia cœpit. Satius denique illi vifum ad eorum clementiam & humanitatem, quam in gravissimis injuriis perspexerat, configere. Operam tamen dedit, ne intraret portum; sed stante in ancoris navigio, necessariam annonam immissâ scaphâ pararet. Contra quām speraverat accidit. Secundo enim vento impulsus, portum quamlibet invitus reluctansque subiit. Nostri de illo, quamvis non ita merito, ne verbum quidem ullum, quo accusaretur, interposuere: læti quod hostem ita servassent. Agnovit beneficium gubernator Anglus; ac deinceps fæpenumero cum summa Patrum laude prædicavit. Id vero multo fecit impensiūs, cùm tempestate ad Angliæ urbem Penbrochium projectus, ejus oppidi magistratibus movit suspicionem maritimi latronis, quòd & Francicâ veheretur navi, neque scriptam auctoritatem proferret, qua suam navigationem tueretur. Asseveranti fe à